

tionibus inferuisse. Ait namque sic: In primitiva Ecclesia Apostoli celebrabant (in azymo) quem morem Romana Ecclesia ab Apostolis, qui ipsam fundaverant, accepit, ut Innoc. III. dicit, sed postea, ut dicit Leo Papa, imminente heresi Hobonitarum, qui dicebant, simul cum Evangelio legalia observanda, Sancti Patres, ne ei confentire viderentur, voluerunt ad tempus, instinctu Spiritus Sancti, ex sermone confici Sacramentum; postea cessante illa heresi, Ecclesia Romana ad pristinum morem rediit (a). Haesens D. Thomas: in margine vero, ad hanc historiolam illustrandam, haec adnotatur: Leo Papa IX. ut etiam citat Inn. eod. cap. in fin., in quadam dicti Leonis Epist. super hoc, ad Imperatorem Constantinopolitanum directa. Vides profecto, mi Magister, unde subtilis Doctor Scotus hanc fabulam hauserit. Vides quoque, re Angelico Doctore vulnus infligere, dum minus caute subtilem adgrederis. Sed abist, ut Angelici sapientiae plane admirabili, quidquam derogeretur errorum hoc, vel aliud simile. Nec minus ridiculus habendus est, qui isthac colligendo, atque obtendendo, se illam maculis adspargere credit, quam qui exiguis vaporibus Solis claritatem obscurare contenderet. Porro non modo D. Thomas, sed Divus etiam Bonaventura (b), ac utriusque Magister Aletius (c) hujusce narratunculae meminerunt: eamque ex D. Thoma referunt Card. Bona (d), Christianus Lupus (e), qui eam non omni fundamento destitutam autumat, Juvenin. (f), Suarez (g), Natalis Alexander (h). Quod propterea animadvertimus volo, ut nuperi Censoris indiligentia, in re caeteroquin admodum facili, perspicior evadat.

LXVII. Jam vero ad res quod attinet, ut caute procedamus, longaeque, quantum fieri praevidetur potest, a periculo deceptionis abstinus, adverteanda nobis sunt, tum quae ab Antiquis adfecta, radices altiores agere non valuerunt, adeoque brevi tanquam amara, in eadem ipsa veritate ceu sepulta remanserunt; tum quae ab illisdem memoriae consignata, profundiores in dies radices jecerunt; difficultatibus, si quae obiecta fuerunt, praevaluerunt, plenamque demum Provinciarum, vel Nationum, vel ipsius adeo universalis Ecclesiae, confessionem obtinuerunt. Et primi quidem generis Narrationes, opinionesque quam honore multo, ac bona Antiquorum illorum venia, refellantur. Quae vero alterius generis, ea nemo sobrie doctus, catholiceque eruditus, resu- randa sibi, ac multo minus contemnenda proponet: quinimo si partes suas probe noverit, atque, ut par est, digne persequi constituerit, in istisdem propugnandis, atque adferendis, praecipuam haud dubie operam collocabit.

LXVIII. Rem satis de se perspicuam, exemplis illustriorem reddere non erit inutile. Josephum Desiparum Virum, non egisse vitam caelibem, quippe qui ex prioris conjugio Filias illas habuerit, quos Fratres Domini Sacer Textus appellat, antiquorum Patrum bene multorum opinio fuit. Op- positus illis primo fuit eruditio, atque auctoritatis molem Hieronymus; ex eoque tempore minui, atque enervari coepit opinio illa, in diesque magis, magisque deficere: Postremo generali (apud Latinos praecipue) non tam destititione, quam offensione veluti oppressa, usque adeo concidit, ut a clarissimo Scriptore, Ecclesiae fidei adversa disertim pronuntiata fuerit (i). Ut sane mirum sit,

existisse postmodum, qui obliterata propemodum opinioni succurrendum conseruit, illam, & probabiliorem, & Evangelico Textui accommodatiorem existimando (k). Certe Hieronymus nihil intulit novi: nam etsi primus ipse Josephum caelibem dixit; attamen qui Christi Fratres in Evangelio vocantur, non Josephi, sed Cleophae Josephi fratris, filios fuisse, alii Scriptores, & ii quidem gravissimi retulerunt (l). Et sane Jacobum, quo de praecipue controversi posset, Cleophae Filium esse, Chryostomi sententia est, in 1. ad Galatas; Nam Oratio de Annunciat. Virg. quam citat Vossius (m), ubi Jacobus Josephi filius dicitur, negatur esse Chryostomi. Egesippus quoque prima Antiquitatis Scriptur non indiligens, ac iis, qui post ipsum flourerunt, merito praefereendus, Simeonem, unum ex Christi fratribus, Cleophae filium facit (n). Jam si, qui Christi Fratres dicuntur, ii non Josephi, sed Cleophae filii habendi sunt, nihil superest, unde Josephi caelibatus verosimiliter impugnetur. Sed de hac re fufius alibi.

LXIX. Obtinerat etiam per illa prima Ecclesiae tempora Narratio quaedam, quod nempe, Zacharias Baptista Parens, ab invidis Judaeis Inter Templum, & altare peremptus fuerit: propterea quod Desiparum officium Purgationis impleverat, ac Jesum a nuptiis, in Temple parte Virginibus destinata precari volentem, ab illorum vi ac reclamantione defenderit, factumque probaverit, ipsam & Dei Matrem, & Virginem affirmando. Sed haec quoque Narratio (quod quidem spectat necesse est) facile obsolevit, evanuitque, postquam potissime Hieronymi eruditio illam ab fabulas amandavit.

LXX. Contra vero Hieronymi diversa sententia, atque oppugnatio nihil obstitit, quominus Traditio illa, qua ferebatur, Adam in Calvariae loco sepultum fuisse, atque ex ejusdem capite ibi condito, loco illi id nominis obtigisse, latius in dies dispersaretur, atque a gravissimis deinde Scripturis adprobaretur. Quamobrem illam uti veram, aut valde probabilem Traditionem amplectimur; Auctore praesertim nostro maxime suffragante (o). Quamquam antiqui illi Patres ante Hieronymum, in ejusmodi factis decepti nonnumquam fuerunt, in Apocryphis libris, Judaeasque Traditiones (inter quas locum facile primum haec obtinet) non omni adhibita diligentia, consecrando.

LXXI. Porro ea facta, quibus perpetua Scripturorum confessio suffragatur, nunc demum maligne carpere, & conjecturarum nebulis obtenebrare, atque etiam, si placet Superis, falsitatis arguere, absurdissimae temeritatis est. Petrum Romam venisse, ibique sedem fixisse, concurs omnium, ac perennis vox est. At id vero, non secus atque alter Terentianus Phorem, perfricta fronte Calvinus negat: nec profecto sine argumentis, nimium iis, non quae vel Antiquitas veneranda, vel illustrium Scripturorum auctoritas, sed quae insensus in Pontificem animus, atque atrox odium ipsi suggerit. Sed enim, inquit, exploratum satis esse, antiquos illos Scriptores nonnumquam pro veris Historicis, peritias nobis fabulas obruisse: Denique, sic colligit [p], res illius temporis ita sunt opinionum varietate implicatae, ut non temere adhibenda sit fides, ubi aliquid scriptum legitimus. Si qui sunt, quibus ardeat hoc novum genus ratiocinandi, eos consequens est omnia in dubium, in-

cer-

(a) Lib. 4. Sentent. distinct. 11. quest. 2. (b) Lib. 4. Sentent. distinct. 11. par. 2. art. 2. quest. 1. (c) Quarta parte quest. 10. Memb. 4. Art. 1. 3. (d) Lib. 1. rerum Liturgic. cap. 13. (e) Tom. 3. Not. Edit. Pag. 322. (f) De Sacram. Pag. 246. (g) Tom. 3. in 3. par. disp. 44. sect. 3. (h) Tom. 6. Hist. Eccl. Pag. 868. (i) Petrus Damian. opus. 17. cap. 3. (k) Henric. Vales in Annot. ad lib. 2. Hist. Euseb. cap. 1. (l) Samuel Basnage. anno ante Dom. 6. n. 28. (m) Dissert. de Gen. Christi cap. 6. (n) Apud Euseb. lib. 3. Hist. cap. 11. & lib. 4. cap. 22. (o) Vindicat. Caus cap. 5. (p) Institut. cap. 7.

certumque revocare, ac palam hisce etiam in rebus Scepticismum profiteri. Nullum enim est factum tam stabile, nulla narratio tam firma, quae non hujusmodi calumnias, atque absurdos disse- rendi modis exagitari possit. Nam quod tandem aliud Ecclesiae factum perlatum ad nos est, aequo constanti Traditione, quam Petrum Romae sedem instituisse? Hoc nemo Catholicorum, Haereticorum etiam nemo, (exceptis fortasse quibusdam Lutheri affectis) ad Calvinum usque, vel negare, vel adeo in dubium vertere, umquam est ausus; quum tamen, ut mittam Haereticos, inter ipsos Catholicos de plerisque Libris Sacris aliquando nonnulla fuerit dubitatio, atque etiam controversia. Quo igitur illustriori documento convictus, Libros Sacros Calvinus recipit, si Petrum Romae Sedem fixisse negat, celeberrimamque Traditionem contemnit? Nempe non immerito ait Grocius, & ipse Scriptur heterodoxus, Petrum Romae fuisse, nemo verus Christianus dubitabit (a).

LXXII. Quum vero praclaras has leges Calvinus ingerit, ut suspectos habeamus, fideique minus sincere, quos interdem deceptos advertimus; arbitror, sese pariter, ac suas lucubrationes his istisdem legibus subjectas velle: alioqui qui ferri possent hominis arrogantia? Videat iam ipse quid sit decernendum de Fide sua in Faetorum narrationibus, postquam se non raro, non aliquando, sed frequentissime, & quidem in rebus vel ante oculos positus, hallucinatum comperit. Sabellium ex Inferis prodixisse annis circiter sexaginta ante haesim Ariam, nemo Eruditus ignorat: ast illum post Ariam in Ecclesiam irrupisse, affirmat ipse disertim [b]. Sit hoc erratum leve: Quid illud, paucis verbis contentum, quod Nicæna Synodus celebrata fuerit Pontifice Julio, praesidente Athanasio, quodque in ea Legati Romanae Sedis quantum locum habuerint [c]? Quid etiam illud, quod nostra Templa primis Ecclesiae quingentis annis, Imaginum fuerint expertia? Meminerimus, inquit, quingentis circiter annis, quibus magis adhuc florebat Religio, & Interior doctrina vigebat, Christiana Templa communiter ab Imaginibus vacua [d]. Immo vero meminisse debemus, per ea tempora Sanctos Viros Sacra Templa Imaginibus extornasse, illarumque usum plurimum comprobasse, Paulinum Nolanum, Severum Sulpicium, Augustinum, Ambrosium, Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, Ephrem Syrum &c. [e]. Postremo, ut alia multa praeteream, quid illud, quod Scholastici praecipuum de non appetenda vindicta, deque inimicorum dilectione, in consilia vertunt, quibus parere, nec ne, liberum sit [f]? Sed hoc fortasse, ut alia pleraque, ad calamias potius, quam ad errata rejiciendum est. Profecto si satis ab ipso Artis Criticae legibus ostemperemus, cuncta, quae profert, aggeratque, uti dubia, suspecta, falsa, illico despicimus, ipsamque adeo nullo in numero habemus.

LXXIII. Ab hac porro insigni temeritate non longissime absunt ii Critici, qui suis veluti regulis estatum illud Juris adnumerant, Testem, quisquis tandem ille sit, vel rejiciendum omnino, vel recipiendum ex integro. Id enim Calvinus statim arripit, quumque Auctorum nemo tam felix fuerit, cui etiam fide optima scribenti, nihil exciderit minus verum, negabit Haeresiarcha, antiquis illis Scripturis, quantumvis magni nominis, si dem illico praestandam esse, sive Tertullianus is fuerit, sive Irenaeus, sive Eusebius, sive alius qui-

liber. Nos enim, aliosque ab rerum veritate, aut multum, aut parum aliquoties aberrasse, inficiari non possumus: quapropter quum ex integro recipi haud queant, erunt omnino rejiciendi. Quod igitur spectat estatum illud, si bona Fidei Testis, praeter animi sententiam, falsi quidpiam protulerit, illius Testimonium ea quidem in parte accipiendum non est: Ubi vero ejus adfertio quum sibi constat, tum aliorum etiam Testium accessione, conspiratione, concordia roboratur, cur, quaso, recipiendus non erit? Dices: recipitur quidem ille, non ob suam tamen, sed propter aliorum fidem. Immo etiam ob suam: aliud namque de mendacibus est statuendum, qui mentiendo, illud merito lucratur, *Ut quum etiam verum dixerint, eis fides non habeatur*, quemadmodum scite Philoſophus; aliud vero de iis, qui quum integri sint, valdeque e mendacibus abhorreant, imprudenter aliquando falsi aliquid proferunt. Si cui vero is, naturae magis, quam voluntatis defectus, satis videtur, ut quis subleat, dubiaque fidei in cunctis evadat; is merito id consequi debet, ut nemo suis dictis fidem habeat quantumvis serio loquatur, atque etiam Sacramento integritatem confirmet suam.

LXXIV. Nec vero antiqui solummodo, sed mediae etiam, ac posterioris aetatis Scriptores eo in honore habendi sunt, ut communis eorum confensio de Facto aliquo ad prima Ecclesiae tempora pertinente, non statim levis, aut vana proflus haberi debeat, tamen tota Veritas illud ta- cuerit, deque eo nihil disertim antiquissima monumenta suppeditent. Sed ne generalis adfertio contentiosius materiem praebeat altercandi, duplex in praesenti distinguo factorum genus; eorum nempe, quae facta pura puta commode, dici possunt, quorum veritas adeo unis solis Testibus annexa est, ut his remotis, eorum veritas frustra conquiratur: ac illorum, quae verosimiles conjecturas, ac solidas quoque ratiocinationes admittunt. Et prima quidem generis facta, nulla quantumvis plena, Recentium confensio, satis comprobant, si Antiquitas omnino fileat. At vero facta alterius generis, ubi si Testis deest, sana ratio succurrit, non parum stabilis, confirmatae recentium Scripturorum concurs sententia. Rem paucis explicio: Quod Joannes, exempli causa, Ephesum venerit, secumque B. Virginem duxerit, nisi aut scriptum, aut constanti traditione perlatum esset, cuiam, quaso veniret in mentem? Facta hujusmodi testes requirunt, quorum defectum nulla ratio, nullaque Recentium confensio unquam supplebit. At quod Virginis Nativitas Sancta fuerit, proindeque inter festos dies merito referenda, nec explicite scriptum, nec diserte traditum invenimus; verumtamen quia res est hujusmodi, cui sana ratio perspicue suffragatur, tenenda est confensio Scripturorum inferioris aetatis, tamen id Antiquitas retulerit.

LXXV. Atque haec, opinor, Auctori nostro non displicebunt: probatur enim & ipsi, quod Virgo etiam corpore assumpta fuerit in Caelum, admittitque hac de re confessionem Scripturorum mediae, ac inferioris aetatis, etsi destituta aperte Veturorum suffragiis. Quamquam vero in eisdem Virginis Conceptionem invehatur (quod Doctores Sorbonico non licere nemo est qui non videat) non tamen inficiabitur, mandatam eam fuisse ab originis crimine, antequam ex utero nasceretur: tamen nihil explorati de hoc facto ex Antiquitate proferri possit; nec satis adstruatur, nisi com-

(a) In versum 13. cap. 5. Epist. 1. D. Petri. (b) Institut. cap. 6. (c) Ibid. cap. 8. (d) Ibid. cap. 3. (e) Paulin. Epist. 12. Aug. lib. 1. de consensu Evang. cap. 10. & Serm. 316. novus edit. Eccl. Ambros. Epist. 53. Nyssen. Orat. de Deit. Filiis &c. Orat. de S. Theod. Marty. Nazian. Orat. in laud. Heron. Ephrem Orat. in Abraham, & Isaac. (f) Ibid. cap. 3. (g) Auctor Exercit. 19. num. 2.

